

Liber  
Bibliothecæ Academicæ Halensi  
a  
**CHRISTOPH. ERNEST. CONONE,**  
Med. Doct. & Practico  
Berolinensi,  
**TESTAMENTO DONATVS.**  
1729.

An 4

FACULTATIS MEDICÆ  
In  
ACADEMIA LIPSIENSI  
**PRÆLIMINARIS**  
**EXCUSATIO;**  
**CASUUM, & RESPONSORUM**  
SUORUM  
Sub Titulo  
**MEDICINÆ CRITICÆ**  
**Inopinatam, ac præcocem editionem**  
Justo Dolore proseqvitur.  
**LIPSIAE.**  
Ipsis, infaustis quamvis, *Medicina dictæ Criticæ*  
Natalibus.

---

LITERIS BAUERIANIS.  
Anno 1670.

G. Tint.



EVANGELICAE MAGISTRATI  
ACADEMIA IMPERIALIS  
SIRIANA IMPERIALIS  
EXCELSA  
CAZIMBIA HABERONIS  
MEDICINA CIRURGICA  
Tropaeum de Medicina et Cirurgia  
Joh. Georg. Alzmanni  
Altdorfensis habens etiam medicinae  
et chirurgiae et anatomiae  
1650.



Lector Aequi Verique amans,

**S**imanibus *Tuis* forsitan exhibeatur, oculisque *Tibi* usurpare contingat scriptum illud medicum, quod sub *Medicina Critice* nomine, *D. Ammannum*, vel auditorum preces fatigantes, (uti in præfatione *Tibi* persuadere laborat) vel forsitan aliud quid, v. g. *Physicis*, *Practicis*, *Studioſis*, *Chirurgis* aliusque inservienti cupido, publico vendere iussit; hocque si *Crisi Tuâ* dignum judicare velis: Hæreas, rogamus amicè, in *titulo* paulisper, ipsique adaptes hanc *Nostram Excusationem*, anteqvam ad illas allegatorum compilationes, quas *Casibus*, & *Responsis Nostris*, *Scholiorum*, & *discursuum* *título*, junxit Autor, excutiendas Te convertas. Imò hærebitis forsitan sponte, si Collegii Nostri *Casūs*, & *Responſa* à Privato quodam, Nobis insciis antè, mox *invitis*, *disfudentibus*, & *contradicentibus*, non *collecta* tantum, sed *correcta* quoque fuisse, animadvertes. Clam Nobis hæc Beatorum Antecessorum, & Nostra typis subjicit *Responſa*, quæ amicis, & repetitis adhortationibus, ab Eo, ut Collegâ,

legâ , justo qvoqve sæpiüs dolore , postulavimus ,  
ac in qvorum censuram , ut lucem viderent , con-  
sentire nec potuit , nec poterit unqva dicta Nostra  
*Facultas* . Ille nihilominus , qvi neutiqvam flecti ,  
aut à proposito suo ullo modo avocari poterat , ut  
conatûs suos , Nobis molestissimos , effectum daret ,  
qvod nec ad qvemcunqve Nostrûm , sive ut Docto-  
rem , sive ut Assessorem , adeoqve nec ad *Ipsum* spe-  
Etabat , ab *Electoris Nostri Clementissimi* jurisdictione  
remotis credidit Typographis , qvò diutius lateret ,  
taridem verò toti Orbi Literario magis elucesceret ,  
ac *Tibi* patefieret *Jus* illud *nullum* , qvo , in præcocis  
sui consilii impetu excusando , & defendendo , hacte-  
nus usus fuit , parùm pensitans , à *Nostro* Decano li-  
cet , per denegatam censuram , interpellatus , & à Col-  
legis monitus , imò per *Electoralia Rescripta* , di-  
vulgationem inhibentia , non semel à conamine  
suo avocatus fuerit , *Res* , qvæ *Facultatis propria*  
sunt , *Domino invito* , & *dissentiente* , non posse , nec  
deberi ex sinu ejus rapi , & nundinis annuis exponi .  
Si *dissensûs Nostri* , qvem semper contestati sumus ,  
& adhuc contestamur , argumenta desideres , *Inge-  
nuitati Tuæ* paucula hæc , suppeditamus : Sufficient  
qvippe hæc pro assensu *Tuo* impetrando , cùm plura  
shedæ hujus angustioris instituti nostri superarent  
limites , haud tamen , vel si centena tanti ponderis fo-  
rent ,

rent, ut *Centuriam* hanc, *Summi Nostri Magistratus*  
mandatis posthabitis, dispersam revocare, & factū  
infectum reddere valerent. *Tibi* siqvidem, qvi non  
præconceptis opinionibus occæcatus es, facile con-  
stabit, qvātā *Facultas Nostra* se, suosqve Antecef-  
fores, contaminaret imprudentiæ, & iniqvitatis  
labe, *Ea* dum propalaret, vel propalari concederet,  
qvæ optimi, & integerimi Viri, *Nostræ* concredide-  
runt taciturnitati, morbos non cuivis revelandos,  
aut per mundi plagas decantandos concernentia,  
qvod *Jus Jurandum Hippocratis*, Ethnici licet, Ethici  
tamen, sanctè prohibet, cujus verba t. 3. hæc:  
*Quæcumque curando videro, aut audirero, imò etiam*  
*admedicandum non advocatus, in communi hominum,*  
*vitâ cognovero, ea, si qvidem efferre non contulerit, tace-*  
*bo, Et tanquam arcana, apud me continebo: Imò qvanta*  
*avaritiæ sorditie sese conspurcaret Hic Noster Ordo,*  
*vendendo de novo *Reponsa* illa, qvæ æqvo, licito-*  
*qve honorario olim dedimus his, qvi Nostras ex-*  
*petebant sententias. Qvæ dubia qvamvis in ani-*  
*mo Compilatoris qvoq; suborta fuerint, anteqvam,*  
*uti scribit, fatigantibus gratificaretur, (qvod in-*  
*gens interim manebit postulatum) Et sui officii obli-*  
*visceretur; hæc omnia tamen diluit post multijugam ven-*  
*titationem secum habitam Causa finalis sententiarum,*  
vel, qvod verisimilius, ac complexioni illius magis

10( 3.

con-

conforme, imperfecta, & mala *Crisis*. Nam scopus suum dudum attigerant hæc *Nostra Responsa*, id est, *Informationem Judicis*, nondum autem per alienos labores mundo innotuerat *Conscriptus* hujus nomen. De cætero, *Lector ingenue*, absqve omni complacendi, aut adblandiendi affectu judica, nonne sotica semper Nobis subfuerit causa, servandi, & custodiendi potius hos *Præceptorum Nostrorum* conceptūs intra scrinia *Nostra*, quam Bibliopolarum officinis illos exponere? Videbis si quidem ex unius, vel alterius *Casuum* horum inspectione, *Chaos sanè informe, indigestum, & confusum*, hos rectè ab *Eo* dici, qui in melius Centuriam hanc se redegisse credit; non enim, qvod idem de Glosfatoribus suis antiquis fatentur *JCTi*, tam accurate, & ad hujus seculi palatum ab *illis* elaborati, nec à mendis, & imperfectionibus per *Hujus discursus* ita purgati sunt, vel in talem excreverunt figuram, ut tantum commodum in *Studiis Tuis promovendis* sperare possis, quantum Titulus, & Prologus Tibi polliceri, & persuadere satagunt. Haud tamen vitio vertimus hanc Veteribus, omnique ætati connataim quasi imperfectionem; nam qui aliter ante seculum, & superioribus annis fieri debuit, fecerunt, quantum quæstionum conditio, styli, tunc temporis usitati, aliarumque circumstantiarum

rum tulit ratio; quantum per præcepta Artis *Ipsius*  
cognita, possibile fuit, (nullus enim horum, jubente  
*Hippocrate*, de diæta, reprehendendus propterea, quod  
omnia invenire non potuerit) ideò locuti fuerunt  
ex hypothesi illâ, qvâ tunc temporis nitebatur  
Medicorum Schola: Hodie verò, ubi major Ævi  
felicitas, & fæcunditas, ac mirum in modum cun-  
Etæ creverunt Artes, & sic quoque hæc *Nostra*  
*Longissimæ*, quid mirum, si fastidiat has antiquita-  
tis reliquias qvilibet, qui inventis modernorum  
studia sua magis excoluit? Hisce itaque, ne, ver-  
ba *Patrum* cavillandi, materiam incogitanter  
præberemus, illosque scribaces crabrones, qvibus  
nihil pulchrum, quod vetus, irritaremus, delitecere  
voluimus, qvas bonâ intentione consignarunt,  
*Meditationes*, quæ, cum suprà declaratis, unica  
ratio est, cur inopinatam, & illicitam *Harum* publi-  
cationem abhorreamus, & detestemur, non verò,  
ut cuidam tantillum vel gloriolæ, vel exigui quæ-  
stûs, spem, invideamus, vel præscindamus. Tu in-  
terim, *Arbiter Æquissime*, hanc *Nostram* brevita-  
tem extortam *Judicii Tui* ubertate corrigas, an-  
gustia enim Temporis, atque *præceps occasio* proli-  
xitatem majorem (forsan etiam necessariam) in  
præsentiarum haud admittit: Et si in ipsa *Medici-*  
*nâ Cri-*




*nâ Criticâ , qvam nondum legere , nedium perle-  
gere licuit, aliquid invenerimus, qvod Crisîn excedat,  
& vel Antecessorum, vel Nostræ Existimationi, aliquam  
maculam adspergat , certus sis, Nos Animad-  
versione peculiari illam propediem  
detersuros.*

F I N I S.







4P 5704

ULB Halle  
006 688 624

3



UD 77

hc





**Farbkarte #13**



An 4

FACULTATIS MEDICÆ  
In  
ACADEMIA LIPSIENSIS  
**PRÆLIMINARIS**  
**EXCUSATIO;**  
**CASUUM, & RESPONSORUM**  
SUORUM  
Sub Titulo  
MEDICINÆ CRITICÆ  
Inopinatam, ac præcocem editionem  
Justo Dolore proseqvitur.  
*LIPSIAE.*  
Ipsis, infaustis quamvis, *Medicinae dictæ Criticae*  
Natalibus.

---

LITERIS BAUERIANIS.  
Anno 1670.

6. Tint.